

## Tempore

et omnis caro sibi simili sociabitur. Voluit ergo xps esse pauper ut pauperes eum diligere et ad ipsum cum fiducia confugerent. Suscipiamus igitur carissimi aduentum domini cum tota mentis deuotione quia sicut dominus olim venit in mundum ut mundus saluaretur per ipsum ita adhuc annuatim dominus aduentum suum nobis representat ut per hoc nobis innuat quod paratus est nos saluare ab omnibus iniquitatibus nostris: si tamen per veram penitentiam ad ipsius clementiam conuertamur. Rogate ergo dominum ut sic aduentum sui filii cum mansuetudine venientis veneremur ut etiam in aduentu illo quando iudicaturus veniet ipsi collemur. Quod nobis prestare dignetur.

### **Domina secunda aduentus domini. Sermo. ii.**

Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli cum potestate magna et maiestate etc. Lu. 21. **S**i domini nostri ihesu christi aduentum ad iudicium diligenter cogitaremus in hac lacrimarum valle potius tristemur quam gauderemus: attendentes illud Psal. 13. Ululate quia prope est dies domini: et illud beati Gregorius. Presentis temporis ita agenda est leticia ut nunquam amaritudo sequentis iudicii recedat a memoria. Quis enim sane mentis toto corde non contremiscit: considerans illud. 1. Pe. 4. Si iustus vix saluabitur impius et peccator ubi parebunt. Iuste ergo inquit beatus Augustinus ad fratres heremitas fratres mei dilectissimi in omnibus operibus vestris semper memento quod omnes stabimus ante tribunal christi ut referat unusquisque quod gessit in corpore. Cauendum est autem ne ante illud tribunal terribile vacui appareamus. Non enim tunc sancti nobis subuenient quia tempus misericordiam impetrandi non erit. Ideo fratres mei attendite et estote semper parati ad obedientiam mandatorum dei: hec Augustinus. Merito facere debemus quia tunc videbunt filium hominis venientem etc.

**T**unc videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli cum potestate magna et maiestate Lu. 21. Nota quod quadruplex est aduentus domini. Primus fuit in virginis uterum: secundus in mundum: tertius est in cor humanum: quartus erit ad iudicium. **I**n utero virginis venit ut carne humana indueretur. In mundum venit ut per suum sanguinem genus humanum redimeretur. In cor hominis venit ut per eum a suis languoribus subleuetur. Ad iudicium venit ut ventilabro iudicarie sententiae granum a paleis separaret. Omissis autem tribus aliis aduentibus ad praesens de redemptione humani generis aliquid breuiter tangemus. Unde tria principaliter sunt hic notanda. Primum est quod signum ad istam redemptionem concurrerit. Secundum est a quibus et per que homo redemptus extiterit. Tertium est quid redemptionem in cruce factam secutum fuerit. De primo nota quod multiplex signum